

PAULUS NICOLETTUS VENETUS
EXPOSITIO SUPER UNIVERSALIA PORPHYRII

Edizione critica
di
Alessandro D. Conti

PROLOGUS

Maxima et forte incredibili gloria virorum illustrium iudicio me dignissimum arbitrarer si dialecticae, quae cognomento logica dicitur, dignitates et excellentias, non dico singulas aut potiores, sed si me dioces his in scriptis aut vocis oraculo possem exprimere, cum ars artium et scientia scientiarum ab omnibus nuncupetur, modusque sciendi ceterarum scientiarum ab ipso philosophorum principe Aristotele in II Primae philosophiae¹ apertissime demonstretur. Quis namque est hodie qui originem suae gloriae, aut qui sua praeconia audeat enarrare dotesque singulas explicare sermonibus, nisi forte ipse Aristoteles, logicorum summus, qui primus eam artificiose diversis argumentorum doctrinis per divisiones, definitiones et regulas tradidit, quam philosophantes primi, licet in suis dictionibus atque disputationibus habuerint, non tamen, ut II Etymologiarum Isidorus protestatur,² ad artis peritiam redegerunt. Tunc itaque caelesti munere, tunc singulari dote, tunc divina luce me satis clarum putarem si eius mysteria pandens, quibus denique fulgoribus clareat insignis, auditorum animos redderem excitatos.

Ipsa quidem disciplina est ad discernendas rerum causas inventa, quam veteres rationalem dixerunt, eo quod in ipsa disputatur, ut VIII De civitate Dei Augustinus docet,³ quemadmodum in rerum causis aut vitae moribus veritas ipsa quaeratur. Ubi eam ab ethica et physica distinguens sic ait:⁴ "in physica causa quaerendi, in ethica ordo vivendi, in logica intelligendi ratio versatur". Physicam apud graecos primus perscrutatus est Thales milesius, unus ex septem illis sapientibus; ethicam Socrates ad componendos corrigendosque mores primus instituit; logicam, quae rationalis vocatur, Plato subiunxit, per quam, discussis rerum morumque causis, vim earum rationabiliter perscrutatus est. Logica enim graece, latine rationalis dicitur, eo quod 'logos', teste Isi

doro,⁵ apud graecos rationem importat.

Non igitur logicae dignitates et excellentias, praeconia atque mysteria aggregare valeo, aut auditorum conspectibus anteferre; quinimo ab hac oratione me penitus exclusissem nisi ceteros sicut me conciperem scire, quod nullus mortalium ipsam sufficienter poterit commendare.

Haec quidem tam sua quam ceterarum scientiarum principia probat, ut in I De physico auditu⁶ Averroës clarissime aperit; audivit enim illud Aristotelis Topicorum primo:⁷ "dialectica est inquisitiva veri ad omnium methodorum principia viam habens". Unde et Varro in suis Disciplinarum libris, eam commendans et a rhetorica distinguens, tali similitudine definit:⁸ "dialectica et rhetorica est quod in manu hominis pugnus astrictus et palma distensa, illa verba contrahens, ista distendens; dialectica si quidem ad discernendas res acutior, rhetorica ad illa quae nititur docenda facundior, illa ad scholas non unquam venit, ista iugiter procedit in forum; illa requirit rarissimos studiosos, haec autem frequentat et populos". Haec ille. Figuratur quidem ad instar iuvenis pulcherrimae utraque manu viperam tenentis. Quoniam ceteris scientiis iunior est, nec earum aliquam pulchritudinem accipit nisi per eam ad similitudinem vestimenti ornata fuerit. Videmus enim singulos artifices sine forma, sine modo, sine ordine loqui, quibus dialecticae ignorantia est annexa. Et saepe tanta confusione opprimi, ut quid dicere velint penitus ignorent, in tantum quod nec ipsi se ipsos intelligunt neque auditores de eorum doctrina aliquam intelligentiam reportant. Propterea non mirum si rationalis dicitur atque intellectualis, quia ratione utitur et intellectivo discursu doctrinam aggenerante atque disciplinam. Duplicata autem vipera opponentem et respondentem designat, quorum uterque alterum venenoso sermone mortificat, si dialectica privatus, nudus inveniatur. Propter quod Ambrosius in ecclesia cantari praecepit: "a dialectica Augustini libera nos Do-

mine". Dicitur enim 'dialectica' a 'dia', quod est duo, et 'logos', sermo, quasi duorum sermo, opponentis videlicet et respondentis. Non solum autem rationem, sed etiam sermonem, teste Isidoro, apud graecos 'logos' significat; 'dialectica' quidem et 'logica', sicut 'dia' et 'logos' vocabula graeca sunt, quae latine interpretata sermocinalem atque rationalem scientiam important.

Ex quibus palam liquet quod logicae seu dialecticae dignitas atque gloria non in sophisticis tantum aut apparentibus rationibus consistit, ut multi bestialiter opinatur Senecae fallaciam allegantes in Epistulis:⁹ "mus caseum rodit; mus est syllaba; ergo syllaba caseum rodit", sed in regulis gloriatur et doctrinis variis, quibus probabiliter et demonstrative disputare ostendit. Fallacias insuper sophisticarum atque apparentium rationum dissolvere docet, ut in Topicorum et Elenchorum, Priorum et Posteriorum libris ipse Peripateticorum Aristoteles princeps claro sermone evomuit. Ipsa namque ad tria valet: ad exercitationem, ad obviationem, et ad physicas disciplinas -inquit ille, Topicorum primo.¹⁰ Ad exercitationem quidem, ut veritas cognoscatur, quam Topicorum lumen tanta claritate ostendit; ad obviationem, ut falsitas repellatur, quam tanta auctoritate Elenchorum abicit fulgor; ad physicas vero disciplinas, ut ceteris scientiis perfici studentis desiderium inflammetur, cuius flamme scintillas Priorum et Posteriorum radii maximo ardore excutiunt. Haec quidem, teste Alfarabio,¹¹ ad hunc finem inventa est, ut philosophantis exercitium continua meditatione proficiat. Si enim logica ita res puerilis est et solum de apparentibus, absque magno rationis discursu, ut ad suam excusationem asserunt hi rudissimi qui ad illam sciendam se inhabiles cognoscunt, non diceret Augustinus in libro Confessionum¹² quod omnes artes liberales nullo hominum tradente per se ipsum didicit praeter dialecticam, quae sola eum discipulum effecit. Si iterum logicae studium absque utilitate quaedam temporis perditio est, ut cupidi affirmant, qui ad scientias lucrativas non

propter scire, sed propter ditari summo desiderio aspirant, aut qui iam antiquati ad studia litterarum tamquam digni risu proficiscuntur, frustra tantum laborassent Aristoteles, Avicenna et Boethius, aliique innumerabiles peritissimi viri, quorum vita, studio et scripturis, ut ipsa mortalibus patefieret, magna in parte evacuata est.

Ut igitur summatim eius commendatio concludatur, cum Isidoro¹³ et Alberto¹⁴ dicam quod ipsa est rationalis disciplina definiendi, quaerendi et discernendi potentiam habens. Haec in subtilissima disputationibus vera secernit a falsis, ignotum per cognitum scire astruit, ab his quae tantum apparent homines liberat, errores damnat, falsitates ostendit, lucem in nocte tribuit, et contemplantibus felicitatem ministrat. Hic per gratiam et in futuro per gloriam quam nobis tribuat Deus, supremus logicus, per infinita secula seculorum, amen.